

PROVINCIA ROTHOMAGENSIS,
SEU LUGDUNENSIS SECUNDA.

ROTHOMAGUM, Rotomagus Ptol. lib. 2. cap. 8. vulgò *Roüen*. *Avitianus* hujus Episcopus subscripsit Concilio Arelatenfi primo.

EBROICA, seu civitas Ebroicorum dictæ Notitiæ Provinciarum & Civitatum Galliæ, vulgò *Evreux*. *Sanctus Taurinus* hujus primus Episcopus dicitur in Martyrologio 3. Idus Augusti, & *Mauritius* primo Concilio Aurelianensi subscripsit.

LEXOVIUM, seu civitas Lexoviorum eidem Notitiæ, vulgò *Lisieux*. Hujus Episcopus *Theodobaudis* Concilio Aurelianensi tertio subscripsit.

BAJOCA Apoll. Sidon. lib. 4. Epist. 18. vulgò *Bayeux*. *Leucadius* hujus Episcopus subscripsit Conciliis Aurelianensibus tertio & quarto.

CONSTANTIA Notitiæ Imperii alias Brioveris, & Constantia Castra Ammiano Marcellino lib. 15. vulgò *Contance*. *Leontianus* hujus Episcopus subscripsit Concilio Aurelianensi primo, & *Lauto* Aurelianensi secundo.

ABRINCA, civitas Abrincatum eidem Notitiæ Imperii Romani, vulgò *Avranches*. *Nepos* hujus Episcopus subscripsit Concilio Aurelianensi primo, & *Perpetuus* Aurelianensi secundo.

SAVIUM, seu civitas Sagiorum eidem Notitiæ Imperii Romani, vulgò *Seéz*. Hujus Episcopus *Passivus* subscripsit Concilio Aurelianensi secundo.

OXIMUM antiquo auctori vitæ sanctæ Opportunæ apud Surium, vulgò *Hiesmes*, quibusdam civitas Episcopalis sub Rothomago ex hoc potissimum creditur, quod in singulis Sagieni, Bajocensi & Lexoviensi Episcopatibus singuli sint Archidiaconi, qui Oximenses dicti sedem hujus nominis his tribus Episcopatibus divisam fuisse, quasi videntur indicare. Hujus forsan Episcopus fuit *Litaredus* Oxomensis dictus, qui subscripsit Conc. Aurelianensi I. sed verisimilius ex ea sede fuit Liberalis Oximensis, cujus mentio fit in certo indiculo, de quo mox dicemus.

PROVINCIA TURONENSIS,
SEU LUGDUNENSIS TERTIA.

CIVITAS TURONORUM dictæ Notitiæ Galliæ, vulgò *Tours*. *Martinus* hujus Episcopus interfuit Concilio Trevirensi, & *Gatianus* ejusdem primus Antistes dicitur apud Gregor. Turon. lib. 1. Hist. Franc. cap. 30.

CIVITAS ANDICAVORUM eidem Notitiæ, vulgò *Angers*. *Talafus* hujus Episcopus subscripsit Concilio Turonensi primo.

CENOMANORUM CIVITAS eidem Notitiæ Galliæ, vulgò *Le Mans*. *Victorius* hujus Episcopus subscripsit Concilio Turonensi primo.

CIVITAS REDONUM eidem Notitiæ civitatum Galliæ, vulgò *Rénes*. *Athenius* hujus Episcopus subscripsit Concilio Turonensi primo.

CIVITAS NAMNETUM eidem Notitiæ Provinciarum Galliæ, vulgò *Nantes*. *Eusebius* hujus Episcopus subscripsit Concilio Turonensi primo.

VENETIA Cæsari lib. 3. de Bello Gallico, vulgò *Vennes*. *Paternus* hujus Episcopus ordinatus fuit in Concilio Venetico.

ALETUM Notitiæ Imperii Romani, vulgò *Alet*. *S. Maclovius* hujus Episcopus ordinatus fuit anno Christi 541. ut in monumentis Ecclesiæ sancti Maclovii legitur. Translata autem fuit sedes Episcopalis Maclovium civitatem, quæ à sancto Maclovio nomen habet, anno 1140. à Joanne Grilleo, qui ex Abbate Begardenfi Ordinis Cisterciensis, Episcopus Aletensis factus fuerat.